

**2000-12-05 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Kupelaensis’**

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS  
SERVUS SERVORUM DEI  
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

**CONSTITUTIO APOSTOLICA**

**KUPELAËNSIS\***

**IN BURKINA FASO NOVA CONDITUR PROVINCIA ECCLESIASTICA,  
KUPELAËNSIS APPELLANDA, QUAE AD DIGNITATEM ARCHIEPISCOPALEM  
ET METROPOLITANAM ATTOLLITUR**

In omnes Ecclesias pastorali permoti studio curam continenter adhibemus, ut salutifera Domini benefici a quam amplissimam multitudinem attingant. Ideo Nos aptare festinamus ecclesiastica instituta ad proposita haec commodius assequenda et aptius explenda. Quapropter, cum in Burkina Faso catholicum nomen feliciter amplificari videamus, iis quorum interest rogatis sententiam, de consilio Congregationis pro Gentium Evangelizatione, Apostolica Nostra potestate suffulti, haec quae sequuntur decernimus et statuimus. Seclusis dioecesibus Kupelaënsi, Fada Ngurmaënsi et Kayana a metropolitana Sede Uagaduguensi, novam ex iis Provinciam ecclesiasticam condimus *Kupelaënsem* appellandam, eiusdem vocabuli obtinentem Sedem, quam ad archidioecesis metropolitanae gradum attollimus, cuique dioeceses Fada Ngurmaënsis et Kayana erunt suffraganeae. Kupelaënsem Episcopum, in praesentiarum Venerabilem Fratrem Seraphinum Rouamba, dignitate Archiepiscopi Metropolitae honestamus secundum canonum praescripta. Haec omnia ad expedienda Venerabilem Fratrem Marium Zenari, Archiepiscopum titulo Iuliensem, atque in Burkina Faso Apostolicum Nuntium, legamus, facta videlicet facultate quempiam alium virum in ecclesiastica dignitate constitutum subdelegandi. Re demum ad exitum perducta, documenta conficiantur, quorum sincera exempla ad Congregationem pro Gentium Evangelizatione mittantur, contrariis rebus minime quibuslibet obstantibus.

*Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinto mensis Decembris, anno Domini bis millesimo, Pontificatus Nostri tertio et vicesimo.*

ANGELUS card. SODANO  
Secretarius Status

IOSEPHUS card. TOMKO  
Congr. pro Gentium Evang. Praef.

Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*  
Antonius Macculi, *Protonot. Apost. s.n.*

---

\*A.A.S., vol. XCIII (2001), n. 4, p. 196